



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

V. Quæ voluntas perfectissima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

ter præstantior est, quām sint multa & gran-  
dia bonorum operum exercitia.

V.  
*Quæ voluntas perfectissima.* Interpretetur forsan quispiam, isthæc dicta cum exaggeratione, ut nonnumquam ascetici & pii scriptores solent. Auctoritati itaque eatenus fidem tribuamus, quatenus rationes evicerint. Primam hanc statuo. Eò merita actionum majora sunt, quò à perfectiore voluntate proficiscuntur. Eò autem voluntas creata perfectior est, quò magis ad voluntatem increatam accedit, eique sese applicat & accommodat, id volendo quod Deus vult, eoque fine quo vult Deus, id est propter ipsum. Quemadmodum enim intellectus divinus veritatis omnis regula est, sic voluntas divina bonitatis: quomodo falsum esse nequit, quod illi conforme est, ita nec malum quod ad hanc dirigitur. Imò sicut eò quidlibet verius est, quò proprius summæ veritati conjungitur: sic tantò melius est, quantò vicinius ad bonitatem infinitam admovetur. Quām simillimum prototypo exemplar, absolutissimum est: murus, si

228    BONA VOLUNTAS  
exactissimè perpendiculo respondet re-  
ctissimus: pavimentum quò ad normam  
aptius, eò planius. Quæ planissima, re-  
ctissima, consummatissima voluntas,  
nisi quæ prototypo, amissique, ac nor-  
mæ accuratissimè conformatur? Ita me-  
ritò censuit Augustinus ad illa Psalmi  
32. verba, Rectos decet collaudatio.  
Quid est recti? Ut nihil illis dispiceat, quod  
fecerit Deus: possint & in adversis Deum lau-  
dare, & dicere, Dominus dedit, Dominus ab-  
stulit, sit nomen Domini benedictum. Tales  
rectos decet collaudatio, non primo laudaturos,  
postea vituperaturos. Discite gratias agere  
Deo, & in prosperitatibus, & in adversitatibus.  
Discite habere in corde, quod omnis ho-  
mo habet in lingua, Quod vult Deus.

VI.    Altera ratio, ad priorem acce-  
Subjecta    dens, ex Doctoris Angelici do-  
Deo vo-    luntas.    Etrina elicetur 1.a 2.æ quæst. 92.  
art. 1. in corp. Cujuslibet subditi virtus est,  
ut benè subdatur ei, à quo gubernatur. Sicut  
virtus Irascibilis & Concupiscibilis in hoc con-  
sistit, quòd sint benè obedientes rationi. Et per  
hanc modum virtus cujuslibet subjecti est, ut  
benè